



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Constitutiones Variorum Pontificum in præcedentibus Editionibus
desideratas, summoque studio hinc inde conquisitas complectens

Luxemburgi, 1741

3. Hodie à nobis &c. Ad Viennensem, Lugdenensem & Gebennensem
Officiales, ut conficiatur Inventarium, & Sequestrium bonorum
defunctorum, quorum hæreditas beneficio Inventarii assumitur: anno
1505.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74514](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74514)

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre absolutionis, approbationis, confirmationis, suppletionis, statuti, ordinationis, decreti & mandati infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicae Millesimo Quingentesimo quinto, Pridie Cal. Martii, Pontificatus nostri anno tertio.

Quocirca discretioni vestrae per Apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios, litteras praedictas & in illis contenta quaecunque, ubi & quando opus fuerit, ac quoties pro parte Communitatis praefatorum desuper fueritis requisiti, solemniter publicantes, ac eis in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciatis auctoritate vestra statutum & ordinationem praedicta firmiter observari, ac eosdem Communitatem pacifica possessione vel quasi statutorum, ordinationum, approbationum, confirmationum, suppletionis, decreti & mandati praedictorum, juxta dictarum litterarum continentiam, gaudere, non permittentes Communitatem praefatos per Priores & Rectores praedictos seu quoscunque alios contra earundem litterarum tenorem quomodolibet indebite molestari, contradicentes per censuram Ecclesiasticam appellatione postposita compescendo, non obstantibus omnibus quae in dictis litteris nolumus non ob stare, seu si Prioribus & Rectoribus praefatis vel quibusvis aliis communiter vel divisim ab Apostolica sic sede indultum, quod interdicti, suspendi vel excommunicari non possint per litteras Apostolicas, non facientes plenam & expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicae, Millesimo Quingentesimo quinto, Pridie Cal. Martii, Pontificatus nostri anno tertio.

D. de Comitibus.

III.
Ex Archiv. Reipub. Genev.

Ad Viennensem, Lugdunensem & Gebennensem Officiales, ut conficiatur Inventarium, & Sequestrarium bonorum defunctorum, quorum haereditas beneficio Inventarii assumitur: anno 1505.

JULIUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei, dilectis Filiis Viennensi & Lugdunensi ac Gebennensi Officialibus salutem & Apostolicam benedictionem.

Hodie a nobis emanarunt litterae tenoris subsecquentis. Julius Episcopus Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Ea quae pro singulorum Christi fidelium indemnitate providenda facta statuta & ordinata dicuntur, ne impugnationi subiaceant, libenter cum a nobis petitur Apostolico munimine roboramus, & alias in his nostris pastoralis officii parte favorabiliter impartimur, prout in Domino conspiciamus salubriter expedire.

Sane pro parte dilectorum Filiorum Communitatis & Syndicorum Civitatis Gebennensis nobis nuper exhibita petitio continebat, quod exposito alias per tunc Syndicos dictae Civitatis, etiam tunc Vicario in Spiritualibus generali Venerabilis Fratris nostri Aymonis Episcopi Laufannensis & Ecclesiae Gebennensis in Spiritualibus & Temporalibus Administratores per Sedem Apostolicam deputati, quod alias & moderno temporibus plerique Mercatores Burgenfes & diversorum statuum Incolae & habitatores dictae Civitatis Territorii & Jurisdictionis Episcopalis Gebennensis, dum viverent, diversis suis Creditoribus obnoxii, licet plura bona mobilia

& immobilia debita & credita possiderent, unde suis commode satisfacere possent creditoribus, tamen cum postmodum decessissent, Successores in eorum bonis per longa tempora bona hujusmodi contractaverant, primo illa occultaverant & dissipaverant, & volentes suos Creditores defraudare se heredes dictorum defunctorum cum beneficio legis & Inventarii appellabant seu constituebant, & bonis praedictis pro parte dissipatis de eis tale quale juramentum faciebant citatis prius creditoribus dicentes, decreto Juris infra quadraginta dies a morte sui Antecessoris haereditatem ipsam si ipsi Creditores vellent acceptare, & aliquando post lapsum quadraginta dierum se ad pristina tempora restitui petebant, & alias discussionem bonorum in tantum differebant, quod bona ipsa & illorum fructus sibi interim appropriabant, & alia tunc expressa faciebant in grave ipsorum defunctorum praedictorum, & aliquando ad miserabile beneficium cessionis bonorum admitti fraudulenter petebant, pauca ex bonis suis manifestantes & alia retinentes, in simile grave praedictorum defunctorum creditorum & etiam reipublicae. Idem Vicarius habita prius cum Syndicis & Concilio Episcopali dictae Civitatis deliberatione matura, ut praemissis fraudibus obviaretur, dictorum Syndicorum Supplicationibus in ea parte inclinatus ordinaria auctoritate perpetuo statuit, quod defunctis aliquibus tam in Civitate praedicta & ejus Suburbis, quam aliis Territoriis Episcopali Jurisdictioni Gebennensi tam mediate quam immediate subiectis Ecclesiasticis vel Secularibus, cujuscunque Status, gradus vel conditionis forent, si aliqui eorum Successores & in eorum haereditatibus & bonis pretendere volentes illorum haereditatem cum beneficio legis & Inventarii adire, & si illorum haeredes ita appellari voluerint, illico aut saltem infra tres dies, & antequam aliqua ex bonis dictorum defunctorum contractare seu de illis quomodolibet immiscere deberent, de ipsis bonis legale & decens Inventarium in manibus Justitiae conficere, etiam si Testator prohibuerit, & bona ipsa omnia ipsius defuncti sine fraude distribuere tenerentur, & ipsis inventario & descriptione factis bona ipsa omnia ipsius defuncti mobilia & immobilia debita & credita quaecunque, in manibus duorum proborum idoneorum similis defuncti conditionis Status & facultatis per ipsum Vicarium seu Judicem & Vicarios loci talis defuncti vocatis Syndicis & Procuratoribus dictae Civitatis & aliorum locorum Episcopatus eorum quibus fiet discussio eligendorum, sub ipsis descriptione & Inventario remitti & reponi deberent, qui bona ipsa ac fructus & emolumenta eorum pro dictis Creditoribus conservarent, donec & quousque bona ipsa fuerint discussa, & ipsis sic electis pro eorum labore de dictis bonis satisfieri deberet, & si secus factum fuerit, decrevit & declaravit eosdem tales contractatores pro veris haereditibus ipsorum defunctorum appellari & contra eos tanquam veros haeredes per dictos Creditores agi, ac mandavit praemissa omnia per singulos Judices & Officiales in Temporalibus & Spiritualibus sub poena excommunicationis observari, quae omnia postmodum dictus Aymo Episcopus & Administrator sua ordinaria auctoritate approbavit, & confirmavit, prout in litteris Vicarii & Administratoris praedictorum desuper confectis & eorum Sigillis munitis dicitur plenius contineri. Quare pro parte Communitatis & Syndicorum praedictorum nobis fuit humiliter supplicatum, ut statuto, decreto, declarationi, mandato & approbationi ac confirmationi praedictis pro illorum subsistentia firmiori robor Apostolicae confirmationis adjicere, ac alias in praemissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur.

Nos igitur qui singulorum indemnitate, quantum cum Deo possumus, libenter consulimus, Communitatem & Syndicos praefatos ipsius Communitatis singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis & interdicti, aliisque Eccle-

siasticis Sententiis, Censuris & pœnis à jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium duntaxat consequendum, harum serie absolventes & absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, Statutum, Decretum, Declarationem, Mandatum, Approbationem & Confirmationem prædicta, nec non prout illa concernunt omnia & singula in litteris prædictis contenta, Auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus & confirmamus, suppletentes omnes & singulos defectus, si qui forsitan intervenerint in eisdem. Et nihilominus pro potiori cautela præmissa omnia de novo dicta Auctoritate Apostolica statuimus, decernimus & observari mandamus, non obstantibus Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, ac Ecclesiæ & Civitatis prædictarum juramento vel quavis firmitate alia roboratis, Statutis & Consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscunque. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam Nostræ Absolutionis, Approbationis, Confirmationis, Suppletionis, Statuti, Decreti & Mandati infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumperit, indignationem Omnipotentis Dei ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo quinto, pridie Kalendas Martii, Pontificatus Nostri Anno Tertio. Quocirca Discretionis vestræ per Apostolica Scripta mandamus; quatenus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios litteras prædictas & in illis contenta quæcumque, ubi & quando expediens fuerit, & quoties super hoc pro parte Communitatis, seu Syndicorum prædictorum, aut alicujus eorum requisiti fueritis, solemniter publicantes eisque in præmissis efficacis defensionis assistentes, faciatis eos auctoritate vestra pacifica possessione, vel quasi Statuti, Decreti, Declarationis, Mandati, Approbationis & Confirmationis prædictorum & aliorum præmissorum, juxta tenorem dictarum litterarum gaudere, non permittentes eos desuper per quosvis contra Statutorum, Decretorum, Declarationum, Mandatorum, Approbationum, & Confirmationum hujusmodi tenorem quomodolibet indebitè molestari, contradictores quoslibet & rebelles per Censuram Ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Non obstantibus felicis recordationis Beneficii Papæ Octavi Prædecessoris Nostri, qua cavetur ne aliquis extra suam Civitatem & Diocesim, nisi in certis exceptis casibus, & in illis ultra dietam à fine suæ Diocesis ad judicium evocetur, seu ne Judices à Sede Apostolica Deputati, extra Civitatem & Diocesim in quibus deputati fuerint contra quoscumque procedere, aut alii vel alii vices suas committere præsumant, & de duabus dietis in Concilio Generali edita, & aliis Apostolicis Constitutionibus, necnon omnibus illis, quæ in dictis litteris volumus non obstare contrariis quibuscunque, seu si aliquibus communiter vel divisim ab eadem Sede sit indultum, quod interdicti, suspendi vel excommunicari, aut extra vel ultra certa loca ad judicium evocari non possint, per Litteras Apostolicas non facientes, plenam & expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo quinto, pridie Kalendas Martii, Pontificatus Nostri Anno tertio.

D. de Comitibus.

IV.
Ex Arch.
Reipubl.
Genev.

Bulla ad Viennensem, Lugdunensem, Gebennensem Officialia, pro Syndicis Civitatis Gebennensis, de Administratione Pauperum, & Hospitalium Leprosorum, quorum reditus pro utilitate leproforum collocandi, quorumque Cura Rectoribus, & Pii Ecclesiasticis habenda traditur: Modus autem de conservandis & explicandis ipso-

rum reditibus in futurum servandus statuitur: anno 1506.

INNOCENTIUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

EA quæ pro Pauperum quorumlibet præsertim Dei judicio morbo lepræ infectorum, pia necessariaque subventione, & ne alii ex eorum conversatione morbida contagione inficiantur, providè pieque facta dicuntur, cum à nobis petitur, libenter Apostolico munimine roboramus, ac etiam in iis Nostri Pastoralis Officii partes favorabiliter impartimur, prout in Domino conspicimus salubriter expedire. Sanè pro parte dilectorum filiorum modernorum Syndicorum & Communitatis Civitatis Gebennensis Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod exposito alias pro parte tunc Syndicorum dictæ Civitatis quondam Amadeo Felici Sexto, in sua obedientia, de qua partes illæ tunc erant, nuncupato, quod cura & administratio pauperum & infirmorum in Hospitalibus prædictæ Civitatis, ac vicinis leproforiarum degentium, per nonnullos ipsorum Hospitalium & Leprosariorum Rectores plus solito negligebantur, ipsisque pauperibus & leprosis victus, & alia necessaria subtraherentur, in Rectorum animarum dispendium, & pauperum, infirmorum & leproforum prædictorum præjudicium non modicum, & gravamen, dictus Felix eorundem Syndicorum in ea parte supplicationibus inclinatus, bonæ memoriæ Bartholomeo tituli Sancti Marci Presbytero Cardinali, tunc Episcopo Cornetanensi, in dicta Civitate Gebennensi, seu curia obedientiæ ipsius Felicis residenti, tam per suas litteras, quam alias speciales commissiones etiam ad supplicationem prædictorum Syndicorum eidem Bartholomæo Episcopo factas commisit & mandavit, ut vocatis Syndicis & Rectoribus Leprosariorum hujusmodi & aliis, qui forent evocandi, ad Hospitalia & Leprosarias prædictas personaliter accedens, in eisque debitæ visitationis officium exercens Hospitalibus & Leprosariis prædictis personisque in eis degentibus, opportuna reformationis officium propensum impenderet, ac omnia & singula instrumenta & litteras foundationum, donationum, legationum, Elemosinarum, quæstorum & aliorum quorumcumque jurium, ad Hospitalia & Leprosaria, hujusmodi pauperesque in eis degentes pertinentium, visiteret & examinaret, de ritibus & consuetudinibus laudabilibus Hospitalium & Leprosariorum eorundem se diligenter informaret, ac illa ex eis, quæ sibi pro felici eorundem Hospitalium & Leprosariorum statu & regimine, & rationalia viderentur observari mandaret, quæ verò dubia, obscura, aut minus utilia forent interpretaretur, declararet, irritaret, corrigeret, & in melius reformaret, nec non de statu Hospitalium & Leprosariorum, hujusmodi fructibus, redditibus & proventibus, nec non vitâ, regimine & administratione omnium & singulorum Rectorum eorundem ipsorum, qui in eodem regimine & defectibus inquireret, ac eosdem Rectores juxta excessuum & defectum exigentiam & qualitatem, per sanctiones canonicas, prout eorum animarum saluti, ac Hospitalium & Leprosariorum statui, pauperumque leproforum prædictorum necessitati ac calamitati prospiceret expedire, corrigeret, ac debitis pœnis & Censuris Ecclesiasticis compelleret, Hospitaliaque & Leprosarias hujusmodi ad formam Constitutionis, per felicis recordationis Clementem Papam V. Prædecessorem Nostrium, super hoc in Concilio Viennensi editæ reduceret, ac omnia & singula statueret & ordinaret, quæ in præmissis & circa ea necessaria, & quomodolibet opportuna, & præsertim pro Rectorum animarum salute, pauperumque & infirmorum ac leproforum conservandis viribus videret expedire, & quæ in præmissis & circa ea statueret, ordinaretque vel